

## CCXXVI.

Anno 1704. die 18. Januarii. In oppido Miskolcz..

Copia litterarum Principis Francisci Rakoczy, quibus SS.  
& OO. Regni Croatiae in suas partes inducere nititur.

## I.

Nos Dei gratia Franciscus Rakoczy, Princeps de Felső Vadás, Dux Munkacsinensis ac Makovicsensis, Perpetuus ac supremus Comes de Saros, nec non arcium Saros Patak, Regecz, Lednicze, Szerencs, Ecshett, Szomlye, Tokay, Onod &c. haereditarius Dominus &c. &c., Inclytis Croatiae Regni Statibus et Ordinibus omnem prosperitatem.

Quisquis vel solum disponentibus Superis sumtorum, vel jam clementer faventibus ad intimas dulcissimae Patriae oras victorioso effusorum lateque patentium armorum nostrorum famam hactenus probe inaudiit, non alterius eum omnino quam ad restaurandos afflictis sub Austriaco jugo inclyti Regni Hungariae Provinciarumque eidem annexarum libertatisque animos nos locare operam, esse opinionis indubie praecognoscitur. Dedimus patentia jam justae exercitationis nostrae documenta, publicis Orbi christiano manifestata scriptis; ad quae dum candide ruminanda integritate causae tuti exteros relegamus, nobis indigenis, vel iis silentio praeteritis, communes toti Regno relicto per fatale regimen Austriacum Calamitates illatae praesenti rerum occurrunt testimonio. Languescunt pedetentim partes, ubi principalius corporis extrema aegritudo occupat; nec secus, dum florentissimum potentissimi olim Regni Hungariae statum per inauditam intolerabiliū pensionum exactionem, adempta indigenis officia, tyrannicam Procerum Regni exstirpationem, occupata per exteros via facti bona, apertam denique Regni legum convulsionem, ad eas, quae luctuosis omnium nostrum obtutibus sese offerunt, devenisse experiemur miserias; quid aliud quam certa nobilissimam quoque hanc sacrae Regni Coronae provinciam maneat ruina, unicuique altius trutinandum dolore linquimus. Quotusquisque est, qui non Austriacos a continuo suscepti Regiminis tempore eo collimasse, ut lento edoctae pseudopolitices gradu attracti in exteros summo armorum jure, enervatisque tacite retento nationis odio indigenis, servili liberam gentem submittant jugo, inque absolutum ambitiosae haereditatis sese erigant dominium, clare intelligat. Loquatur, tacentibus nobis, confusus cum vicinis adjacentibus Provinciis Regni Croatici status, Camerae Styriacae ut plurimum subditus, cujus dum imperiosum aegre ferre gubernium, illegitimam a sacra regni Hungariae Corona avulsionem, Regiisque Austriacorum cauta diplomatibus, digna exprobrat querimonia, sumpsit in dies liberrime omnia, contra diplomata, sua audendi incrementa. Per exercitatos hos actus Austriaca libido, dum suis Regnum per partes mutilat limitibus, orisque partim maritimis,